

02 H 1272





S

PR

C

I

DISPV TATIO PHILOLOGICA
DE
SOLV TAE ORATIONIS
SCRIPTORIBVS
SCHOLARVM VS VI PUBLICO
COMMENDANDIS,
Q V A M
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE
PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIP E BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBVRGICO,
CTERA, DVCATVS MAGDEBVRGICI GUBERNA-
TORE,
PRAESIDE
CHRISTOPHORO CELLARIO,
ANTIQUITATVM ET ELOQVENTIAE P. P.
h. t. DECANO,
pro priuilegiis & honoribus MAGISTRI Philosophiæ
& Artium rite consequendis
A. D. XVIII MAII eis Icc VI
publice tuebitur
CHRISTOPHORVS ANDREAS Weber /
NORDHVSANVS
HALAE MAGDEBVRGICAE Litteris Chr. Henckelii, Acad. Typogr.



PRAENOBI LISSIMO, AMPLI SSIMO AC
CONSVL TISSIMO
D O M I N O
DN. ANDREAE WEBERO,
ICto CELEBERRIMO, LIBERAE AC IM-
PERIALIS CIVITATIS NORDHVSANAE
CONSVL GRAVISSIMO,
PATRONO AC FAVTORI MEO
MAXIMVM IN MODVM COLENDO,
VENERANDO,

Hanc Academicam Dissertationem

Submissa obseruantia offert
& dedicat

CHRISTOPHORVS ANDREAS Weber.



Erpendenti mihi, cui potissimum hanc dissertationem dedicatam velim,
quam in Regia Fridericiana Eruditorum examini
ni sum publice propositurus; Tuum
nomen occurrit, Vir Amplissime, quod
a longinquo tempore, maximo obser-
vantiae cultu & honore prosequor.
Rationem si a me exigis, quæ meum
animum compulerit, cum primis eam
adducere possum, quod scio, Te, ut præ-
claris litteris, sic litterarum quoque
cultoribus, mirum in modum fauere,
iis præcipue, qui ad humaniora studia,
reliquorum fundamentum atque insi-
gne ornamentum, ingenium suum ex-
colunt. Accedit autem altera hæc
caufsa, quoniam eam ciuitatem regis
& ornas, cui ego natales, cui multa at-
que

que maxima beneficia debeo, cui etiam
studia mea , si quid umquam potero,
præcipue destinaui. Proinde mihi tem-
perare non potui, quo minus occasio-
nem inuestigarem,qua studiorum meo-
rum ratio, & quo connitar, Tibi, Patro-
ne summe , innotesceret. Cui enim
libentius studia mea interpretarer,
quam qui callet & amat litteras, & qui
rectissimus censor est eorum , quorum
industria mansuetoribus Musis conse-
cratur? Quam ob rem Tibi, Vir Am-
plissime, qui magni facis cultiores lit-
teras, hanc dissertationem offero, qua
significandum duxi, me Philologiæ cul-
turæ deditum esse , atque ex eadem
fructum, non tam priuatum, quam pu-
blicum, exspectare. Tuæ beneuolen-
tiæ hoc , quidquid dissertationis est,
consecro, quod non facerem,nisi plene
persuasus essem , Te benigne habitu-
rum

rum, quidquid ex hac Academia ad Te
proficiscitur, & in quo mea se declarat
obseruantia. Vellem equidem, vt mi-
hi fortuna obtingeret, Tibi cultum
meum expressius testandi; nihil autem
adhuc reperio, præterquam has pagi-
nas, quas non alia mente exhibeo, quam
vt intelligas, nihil mihi Tua beneuo-
lentia potius adhuc fuisse, vel vñquam
esse futurum. Si quid igitur abs Te li-
cet contendere, Vir Spectatissime, illud
summopere contendo, vt serena fronte
hanc dissertationem suscipias, meque
fauore Tuo in posterum digneris. Ce-
terum vt florentissima semper Tuarum
rerum conditio sit, vtque muneri Tuo
amplissimo quam diutissime sufficias,
a Deo precor, atque idem precari nul-
lo vñquam tempore desistam. Dedi
Halæ Magdeburg. IV ante Idus Maii
CICERO CCVI.



Cholæ consulimus, scholasticis studiis inservimus, vt felicius res litteraria, & inde publica etiam, proueniat, si teneris annis adolescentes recte formentur, & ad virtutem præclaris studiis, quæ sapientiæ & humanitatis sunt, adducantur. Talis enim fructus hortorum sunt, qualis cultus fuit arbuscularum: qui quo fuit operosior, eo maior etiam vbertas ampliorque prouentus consequitur. Quod vero de *poe-tis* nuper, qui scholis vtiliores sint, differimus; non alienum ab instituto erit, idem consilii ad *scriptores pro-se orationis* etiam proferre, & deliberando inuestigare, quinam ex tam multis solutæ orationis auctoribus sint scholæ publicæ vtiliores, vt iis adsueti adolescentulisermonem purum & loqui & scribere condiscant, nec in verbis modo eorumque ornatu obhaerescant, sed cum iis etiam res eodem tempore inueniant, quibus pectus impleatur, vt per omnem ætatem procuiusque mune-re ac officio expromantur, quæ cum singulis, tum pu-blico etiam, salubria sint ac necessaria.

II. Amamus breuitatem, quia artum tempus est adolescentiæ, eoque multa vel perdiscenda sunt, vel si non capiat omnia, delibanda tamen, quæ plenius postea sub alia disciplina imbibantur. A *Latinis* incipimus, sicut a Græcis Romani, quibus tam necessaria hæc lingua erat, quam nostratis est Latina. Subiungenda sensim *Græca*, sine quibus nec Latina possunt confistere. Multi auspiciū a *colloquiis* faciunt, quibus exponendis terunt pueritiam & detinent. Faciunt quidem ad prom-te loquendum colloquia, & captui puerorum accomodata sunt; quod vero recentiores illorum auctores

A 2

sunt;

sunt; dulcior pueri primos haustus, etiam purius, ex fonte ducunt, quam ex riuulis, quifæpe aliquid inquinatum trahunt. Alii Terentii fabulas pueris proponunt, ut purissimam inde sermonis elegantiam a teneris annis sibi adsuefaciant. Sunt illæ suaves verbis, sunt elegantes, &, quamvis poeta sit, tamen, vt genius comicorum est, solutæ orationi vbiique similiores sunt, quam carmini, & imitando quoque adhiberi ad prosam possunt, sic ut a multis adhibitæ sunt, etiam ab ipso Cicerone. Lib. VII epist. III ad Atticum, *secutus sum Terentium, cutus fabella propter elegantiam sermonis putabantur a C. Latio scribi:* quasi supra indolem Afri hominis esset tam pure ac ornate scribere. Sed longiores sunt fabulæ eius, quam ut puerili ætate apprehendantur: periculosiores adolescentiæ, quia quamvis caste videatur scribere, tamen res ipsa turpis est, stuprum in fabellis singulis. Habemus excerptas ex iis præstantiores formulas atque locutio-nes, quas qui iuuentuti proponunt, consuliū nobis vi-dentur agere, quam qui integras interpretantur conce-dias. Sic enim fructu non carebit adolescentia, quem ex Terentio sperare sibi poterat.

III. Si omnino pueris dandum est in quoludere ad delectari possint, quod vero non tam studiis ipsorum, quam moribus sit salubre; suaserimus, vt Phædri fabulæ ætati primæ proponantur, quia breves sunt, tenellos adficiunt, & quod caput est, ita elegantes ac Latinæ, vt magnorum hominum iudicio nemo sit, qui ad felicem Terentii puritatem proprius, quam hic ipse Phædrus, accedat. Poeta est & metro apertiore, quam comicus; tamen ea simplicitate, quæ prosam vbiique æmu-letur,

letur, & omnia eius ad prosam, eodem etiam verborum pæne ordine, possint applicari. Resecandæ tamen & hic fabellæ quædam, quæ obscenis verbis luduntur, sicut non desunt huius auctoris libri dudum, puerorum caussa, a sanctioribus viris prudentioribusque castrati. Nec iactura fit, si duæ tresue fabulæ resecentur, quia satis multæ manent, & ferme plures, quam pro æstatu la, cui dicatas Phædri fabulas eruditissimus quisque voluit.

IV. Sed ad structuram simul & membrorum connectionem est respiciendum, nec puerilis ætas in colloquuis & fabulis aut apologis relinquenda, sed mature videndum, ut nexus partium, qui abest ab disruptis illis formulis, cognoscant, & propius ad periodum, quamquam sine rhetorico artificio, quod adultioribus reservatur, adducantur. Optimus in his & primus magister est *Cicero*, cuius breuiores epistolæ, ad vxorem Terentiam aliosque datæ, huic ætati cum primis conuenient, quas præceptoris prudentia pro suorum captu feleger, deinde longiores addet & quæ plus latinitatis habeant. Nec enim vñquam a scholastico studio Ciceronis epistles remotas velim, quia vera inde latinitas, & ad usum statim applicanda, perdiscitur. Sed de his plura in secundo tertioque cursu dicturi sumus.

V. Ciceroni *Cornelius Nepos* coniungendus est, scriptor purus, elegans, perspicuus; & Ciceroni ut ætate æqualis, ita nec inferior nitore. Ex hoc etiam res petuntur, historia maxime Græca: cui etiam Latina Romanorum est addenda, quam nemo continua serie ab urbe condita produxit longius, quam *Eutropius* ad Va-

lentem breuiario, quippe plusquam vndecim sæculo-
rum memoriam perspicua breuitate, nec vero nimis con-
cisa, complexus est. Non quidem stilo Nepoti aut aliis
veteribus comparari potest, quod ætas illum in posterio-
ra tempora reiecerat; nec vero impurus est, nec labem
admisceret stilo, nec quidquam habet, quod ex antiqui-
tate, argenteo saltem latinitatis sæculo, defendi nequeat:
quamquam propter res magis, quam propter verbo-
rum splendorem, a nobis commendatur. Nihil enim
proficit in scriptoribus Latinis, qui ignarus historiæ Ro-
manæ est, quam hic auctor per tempora & vrbis annos
accurate ac diligenter distribuit.

VI. Quod vero hospes in historiis, aliisque moni-
mentis antiquis est, qui terrarum, marium, fluminum,
& montium ignorat descriptionem; non inutile schola-
sticis censemus, vt laudatis auctotoribus Latinis etiam
minoris molis iungatur *Geographus*, qualis Pomponius
Mela est, orbis terrarum situm breuiter per partes suas,
nec stilo pœnitendo, sed terso satis, ante oculos propo-
nens. Aetate enim Plinium antecesit, qui multa ex eo,
& prope verbis iisdem depromsit. Hic recipi in cur-
sum potest, quod elegans, quod breuis, & forsitan men-
struo spatio absolui potest: periegeta Dionysius, vt Græ-
cus & poeta, in ultimum reseruari.

VII. Præsglio facile, futuros multos esse, qui mi-
rentur hanc studiorum viam, longe ab recepto scholar-
rum vsu declinantem, & iccirco nouitate quasi suspe-
ctam. Sit illa minus trita, sit peregrina in nostris oris;
appareat eis noua, qui aliorum instituta nesciunt: ha-
bet illa tamen, quorum clarissima auctoritate se tueatar.

Vnum

Vnum tantummodo, sed magni iudicij virum & in hoc stadio diu multumque exercitatum, Tanaquillum Fabrum adducemus, qui epistola XLI ad Claudium Sarrauium scripsit: *Si mibi sententia ius in re tam grauis momenti esset, sic censerem: Debere nos a fabellis seu apolo-
gis auspicari, statim atque vel primulis lingue Latinae ele-
mentis informati pueri fuerint, cœperintque sentire quid sit
compositio; idque dico sapientissimorum hominum totiusque
antiquitatis auctoritate adductus.* Ea autem re fiet maxi-
me, ut teneros puerorum mores & adhuc εὐαγγεῖος mollire
& subigere facilius: *idque ubi rite factum fuerit, & virtu-
tis in iis quedam σωματικαὶ cœperit apparere, tum porro
pergendum erit alacrius, neque in his fabellis amplius im-
morandum: sed exemplis ea erunt confirmanda & illustran-
da, que legendis apolo-
gis fuerint tradita.* Id autem, ut i o-
pinor, perfici non potest commodius, quam si breuissimos
quosque bistoricos prælegamus, eosque potissimum, qui res
a primis Græcia & Vrbis Romana temporibus prescripserint.
Et quoniam absque terrarum, maris, montium, fluminum-
que descriptione non est ut quisquam ad veterum librorum,
quibus omnis liberalis scientia atque humanitas continetur,
cognitionem possit peruenire; maximum opera pretium fore
iudico, si scriptor aliquis pueris tradatur, qui illa omnia, si
minus ἐσ τὸ δεπτημέρες καὶ δι ἀνεξέσιας, αἱλὰ τύπω γε, ut
aiunt, doceat. Ea autem omnia quinam e veteribus pre-
stiterunt rectius quam PHAEDRVS, APOLLODORVS,
EVTROPIVS, CORNELIVS NEPOS, & POMPONI-
VS MELA? qui libelli intra unius anni curriculum, si
qua modo adhibita diligentia fuerit, nullo poterunt negotio
perlegi. Hæc clarissimus Tanaquillus.

VIII.

VIII. O quam felix prouentus litterarum foret, si scholarum magistri tam salubre consilium sequerentur! Si constrictum nimis videtur tempus annum, sumant biennium, aut plus etiam, quia alia quoque intra hoc spatium tradenda iuuentuti sunt summe necessaria, *divine scilicet institutiones*, quæ sensum de Deo rectum & cælestibus rebus instillent, etiam ad mores honestos & Christianis dignos a tenellis annis puerorum pectora instigent atque perducant; etiam *Greca lingua* quædam *elementa*, quæ in altero cursu plenius docenda sunt. Sic nihilominus adolescentes maturius proficient, quam vulgari more fit, quo tam salubribus præceptis ne decimo octauo ætatis anno imbuti sunt, quibusdam plane per omne tempus scholasticum destituti, rudes & inepti ad academicas *angostias* propelluntur.

IX. Hoc si ita effectum fuerit, quam lætæ segetis spes in sequentes annos erit? quam facile fuerit, quia Romanæ Græcæque historiæ cum locorum positionibus non leuiter fuerunt cognitæ, *Ciceronis epistolæ* nunc impensis tractare, & quod plures earum libri sunt, secundum, quartum, nonum, decimum, vndecimum, duodecimum, decimum quintum integros publice interpretari: e ceteris eligere utiliores epistolæ pro temporis, quod huic pensò datum est, ratione? Non enim illorum nobis placet confuetudo, qui hoc epistolarum volumen, quæ ad diuersos scriptæ sunt, a capite ad calcem suis explicare præsumunt, non autem explicant vni cœtui, quia spatium morandi in scholis, ter quaterue, priusquam absoluantur epistolæ, finitur aut abrumpitur, & hic vnius tantum, ille duorum, raro aliis trium librorum audiuit

ex-

expositionem. Prudens præceptor calculum cum tempore ponat & ingenii, & ordine neglecto præstantiores epistolas eligat, & prætermis s aliis, aut tantum excerptis, quæ meliores tum stili caussa tum historiæ Ciceronianæ sunt, communicet cum suis. Quid enim singulare eruditio nis ex libro primo ad Lentulum dissent adolescentes, vbi fere nihil, nisi de reductione regis Ptolemaei, agitur? quid ex tertio, qui plenus est tædiosæ contentionis, quam Cicero in prouinciam proficisciens cum decessore habuit Appio? Quintus, septimus habent aliquas insignes, sed & alias non paucas, quæ prætermitti possunt. Octauus non est Ciceronis, sed M. Cœli totus: laudandæ tamen in eo sunt quæ ad historiam faciunt, vt in primis est epistola xvi. Sic si recte tractatur Cicero, & imitatio vrgetur strenue; discipulus breui tempore experietur, verum esse quod Fabius lib. x cap. i scripsit, *ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.* Dum vero sice epistolas fecernimus, illarum veterem dispositionem, non nouam Siberianam, qua sine dispendio Musæ carere potuissent, intelligimus. Falsum enim est secundum tempora singulas ordinari posse, quod nec Tiro libertus, conscius rerum patroni sui potuit; in cuius ordine, quem adhuc eruditissimus quisque sequitur, & integræ nationes, Galli, Itali, Belgæ, Britanni, aliique. Nec leue damnum, saltem impedimentum, in citationibus illa quorumdam nouitas rei litterariae attulit.

X. Epistolis *Officia Ciceronis* in scholis plurimi coniungunt, sed præpostero, vt nobis videtur, consilio. Officia enim illa Naturæ ius comprehendunt, quod supra captum est scholasticorum, atque ita in academiis demum,

B

vbi

vbi ius illud explicatur, simul Officia interpretanda. Ideo etiam ipse Cicero ad filium ea scripsit, non puerum, sed quum Athenis ageret, & philosophos affidue audiret. Et Lampridius in Alexandro Romano imperatore cap. xxx refert, eum Latina quam legeret, non alia magis legisse quam de Officiis Ciceronis & de Republica. Rebus enim agendis, quam scholarum umbræ, magis illa conveniunt. Qui autem in vulgatis voluminibus cum Officiis compingi solent de Senectute & de Amicitia libelli, non inutiliter coniungi cum epistolis possunt. De Orationibus agemus postea.

XI. Sunt etiam alii hoc cursu adeundi, *bistorici* præsertim, e quibus ut antiquiores sunt *Julius Cæsar* & *Crispus Sallustius*; ita proxime ad æqualis Ciceronis accedunt elegantiam. Quæ ipse Cæsar scripsit, pura & terfa sunt omnia, etiam ea simplex in verbis proprietas, ut eius ratione non habeamus, qui cum illo conferri possit: sequiora sunt quæ Hirtius vel Oppius, supplementi causa, de bellis reliquis, a Cæsare gestis, addidit. Coniungi cum Cæsare, aut si tempora angustiora sunt, alternis vicibus *Sallustius* proponi potest, cuius Catilinario bello Ciceronis historia illustratur. Compositio eius & periodus verborum est elegans, in quo vere Atticum dicendigenitus latine videoas expressum: ideoque *Tibucydidis emulum* Velleius Paterculus lib. II cap. xxxvi dixit. Sunt quidem non nulla in Sallustio, quæ notam mereantur nec temere trahenda ad imitationem, & Gellius iccirco *nouatorem verborum* lib. I cap. xv vocat: sed pauca sunt, quæ monente magistro facile deuirari possunt: si plura fuerunt, in desperditis fortasse libris fuerunt, ut nequaquam nos turbare possint. Seneca epist. cxiv quæ-



quædam huius generis examinat, & rara in ipso Sallustio vocat, sed in iis etiam sunt, quæ frustra reprehendit, utpote *bellum facere*, cuius nec Ciceronem neque Nepotem pœnituit, quamvis forsan Senecæ ætate id formulæ in desuetudinem venerat. In sermocinationibus (oratiunculas vocant) ipsis historiis directe insertis, perspicuus & apertus est, vt vix in alio oratorium artificium tam lucide possis deprehendere. Et dignum, christianis scholis est, christianos scriptores non exsulare, e quibus pro hoc cursu satis sit *Minucii Felicis Octauius*: Lactantius vt maior & copiosior in sequentem reser-vetur. In hanc classem etiam poetica diatribe incidit ex Ouidii Tristibus ac Ponticis, & nonnullis Virgilianis in-stituenda, de quibus diximus alibi.

XII. Tertius cursus isque maior supereft, quia gres-sus ætate profecit, firmiorque factus spatium longius emetitur. Hic *Ciceronis Orationes* primum locum tene-ant, non promiscuae, sed breviores elegantioresque, in quibus præcipua sunt pro Archia, vnde incipi potest, quia studiis adolescentum est accommodatissima; pro Marcello, quatuor Catilinariæ, pro lege Manilia, ad Qui-rites post reditum, pro Ligario. Tum longiores quæ-dam possunt submitti, pro Milone, pro Roscio Amerino, Philippica secunda. Has putamus publicæ interpreta-tionis sufficere. Ceteræ minime reiiciuntur, sed priua-tæ commendantur industria. Et quia *Velleius Patercu-lus* ad orationem dictiōnem accedit, facile is quoque huic studio adnecti potest, quia breuis est, ex quo historia quo-que illustratur, in qua egregium censemus, licet in Ti-berii rebus, quas incautus adiecit prioribus, in adulatio-

nis culpam delapsus sit: quod fieri vix potest aliter, si principum res, præsertim malorum, sub quibus viuimus, ab iisque beneficia habemus, suscipimus scribendas.

XIII. Ut vero luxurians seges secunda falce est, ne vim omnem in gramine effundat: ita saepe adolescentes, Ciceronis Asiatico abusi dicendi genere, in scribendo luxuriantur, & membra iusto longiora, turgidas & suffarinatas periodos faciunt: a quo vitio non felicius revocantur, nisi *Plinianarum epistolarum* lectione, quarum concisior stilus est, & cum acumine coniunctus, quo iudicium acuitur & excitatur. Sunt praeterea secundæ antiquitatibus Romanis, & plurimæ de studiis agunt litterariis, argumento scholis dignissimo. Eligi ex his quoque possunt utiliores, quæ publice illustrentur, si tempus fortasse interpretandis omnibus non sufficiat. Nam huius cursus quoque est vberior Virgilii interpretatio & Horatii; & Prudentii, præsertim in Hymnis & Martyrum coronis. Quod etiam Ciceronis orationes pleræque in materia versantur, quæ minus idonea ad imitandum est; recentior orator, qui ad nostra tempora accommodetur, est adiungendus, qui si ex multis eligendus unus sit, non videmus qui *Petro Cuneo* in hoc vsu præferendus sit. Plures quidem Muretum laudant, & laudandus omnino est: cuius autem plurimæ orationes ad Pontificis R. curiam magis, quam ad statum nostræ reipublicæ, aut rem litterariam applicatae sunt: Cuneanæ autem sunt stilo Attico conscriptæ, & id singulare habent, quod in Notis nostris ostendimus, quomodo ex variis scriptoribus, poetis & profaicis, ad stilem æquabilem oratio perduci possit. Eloquentia hodie, longis orationibus exercenda, in angustos

stos terminos coacta est , Panegyricos puta seu laudes Principum , ac parentationes claris viris post funera dicatas : iccirco in parentationibus Cunæus facem præferre potest , qui clarissimis Batauorum academiæ professoribus parentauit : in principum panegyricis , qui grandi stilo scribendi sunt , & magno ore personandi , exemplum ex veteribus panegyricis , qui Traiano , Diocletiano , Maximiano , Constantino , Iuliano , Gratiano , Theodosio dicti sunt , petatur : in quibus etiam Eumenii de restaurandis scholis oratio , quam ad præsidem Galliæ sub Constantio Chlоро habuit , præ ceteris iuuentuti commendanda est . Neque *Lactantius* , Christianus auctor elegantissimus , ab hac classe est excludendus .

XIV. Hæc de publicis lectionibus , quæ non omne studium absoluunt , sed modum ostendant , magistro monstrante , quo studia priuata & domestica sint instituenda , quia in ultimo scholarum cursu ætas multarum capax lectionum est . Fidelis & eruditus doctor suos ad *Ciceronis reliqua* perlegenda hortatur , ad oratorios libros & philosophicos , etiam ad plures orationes & epistolas . Deinde *Liuius* legendus , qui maximam latinitati perfectionem adfert : post *Seneca* in epistolis & philosophicis , vnde , quæ ad ἡθη καὶ πάθη , mores & affectus , in orationibus sunt necessaria , petantur : præterea *Quintilianus* pro rhetorica institutione , *Curtius* , *Iustinus* , *Florus* , *Suetonius* propter historias , etiam antiquitatum caussa , licet Flori stilos turgidior sit & similis poetico : ceteri autem idonei sunt , præter historias , etiam latinitati corroborandæ . Etiam epistolæ recentiores priuato studio relinquuntur , siue *Pauli Manutii* sunt , siue *Mureti* , aut alius , qui in sæculo illo Ciceronem vnice imitabantur , quo-

rum nota nomina sunt, *Bembi*, *Sadoleti*, *Longolii*, *Sacra-
ti*; aut si quis ad paucitatem rem redigi malit, *Ioannis
Pici*, *Mirandulani* principis.

XV. Cladat hanc scholarum scenam *Cornelius Tacitus*, scriptor grauis, acutus & magni iudicij, aptissimus ad politicam prudentiam descendam: sed stilo vñus conciore, paucis verbis magna rerum momenta exprimit. Hunc vltimum facimus eorum, quos legi priuatim velimus, antequam ex scholis studia in academiam proferrantur, quibus si quis pectus præparatum habet, magna vtique ex superioribus disciplinis, & breui tempore complecti potest.

XVI. Sed audio a multis obiici, non posse fieri, vt tam multa horis scholæ definitis, vel extra ordinem publicæ institutioni adiecit, explicitur: neque posse privata industria, quos nominauimus, auctores intra scholæ spatum percurri, minus intelligi & ad vñsum applicari. Verum non deest quod iis respondeatur, quitam curte & breuiter de adolescentum ingenii sentiunt. Non enim mens nostra est, hæc omnia simul tractanda, simul legenda esse. Temporibus pensa diuidantur, & vnum post alterum suscipiatur: & vbi maiora videntur, prætermitti quædam; meliora retineri, legi, & ad vñsum transferri possunt, vt nihilominus adolescentis ex singulis aliquid capiat, nec hospes in vniuersa litteratura sit. Nec a quoquis hæc exspectamus, sed ab ingenii præstantioribus, ac probatæ industriae, & quibus contigit magistris vtieruditis, alacribus, qui exhortentur, & suo industriae exemplo etiam præcedant. In ignavis, stupidis, deliciosis omnia secus se habent. Quid multa? Tam id equidem scio perfici posse, quam me scio viue-

re

re. re enim ipsa in nobilioribus ingenii expertus fui, immo plura, quam dixi, in nonnullis sum expertus, qui *Gellium* quoque, *Cornelium Celsum*, & *Columellam* cum poetis posterioribus *Claudiano* & *Ausonio* addiderunt. nihil enim est quod erecta indoles & industria in hoc studiorum genere non possint efficere.

XVII. Tantum de Latinis: de *Grecis* studiis paucia addimus. *Nouum Testamentum* per omnes cursus explicandum est: in primo, cum elementis linguae, quædam *Dicta*, ut vocant, aut *Euangeliorum*, quæ *sacris diebus* exponuntur, *pericopæ*: in altero, *integri libri* vel *euangelistæ* vel *apostoli alicuius*: in tertio totum *Testamentum*, eiusque *stilus* cum profano *Græcismo* componendus, & *vbi opus*, *illustrandus* ex eodem est, etiam multis locis ex *Ebraismo* (qui in hac classe non debet incognitus esse) quem *Ioannes Vorstius* (*secus ac Sebastianus Pfochenius* sensit) in *Nouo Testamento* luculentissime demonstrauit.

XVIII. Addendi igitur sunt alii scriptores, e quibus purus *Græcismus* cognoscatur. Plerique ad id *Ilsocratis orationes* quasdam, quidam *Demosthenis Olynthicas*, plures *Plutarchi de educatione puerorum*, in scholas induxerunt. Purus in iis sermo, & summum in orationibus artificium: non autem pro captu & patientia adolescentiolorum. Quibus enim *Græca eloquentia* hodie cordi est, aut quando vtimur iusta eius lingue oratione? ægre *Latinarum vñus* seruatur: *Græcam*, si vel exercitiis caussa componatur, nemo audit, quod nemo aut paucissimi intelligunt. Argumentum etiam orationum istarum (ad *Demonicum Ilsocratis excepta*) alienum a studiis adolescentiæ est; & omnes
lon-

longiores, quam vt patienter in scholis audiantur, præsertim si explicatio vnius per annum & amplius, vt fieri solet, extrahatur. Etiam Plutarchi liber longior est, eiusque principium inuercundum, vt castis auribus ætatis scholasticæ sine offensione proponi & explicari nequeat.

XIX. Quare malimus historicos in illorum locum adsumi, quia & materia est iucundior, & in varias diuisa sectiones, & stilo non admodum difficulti conscripta & elaborata. Pro secundo cursu videtur *Pæanius*, Eutropii metaphrastes, sufficere, recentior quidem, tersus vero & veterum imitator: vt historia Romana, quæ numquam satis inculcari potest, etiam Græce percipiatur, & sensim aduerscant adolescentes stilum pure Græcum a sacro eiusdem linguae discernere. Vltimo cursui *Aeliani* Variæ historiæ, & *Herodianus* possunt satisfacere, quia paruae molis libri sunt, & scholis iccirco aptiores. Veteres & præstantissimi, Thucydides & Xenophon, & sumptu & materiæ diffusione scholarum indolem & captum supergrediuntur. Addi possunt propter eamdem breuitatem *Scylax*, Caryandensis geographus, & *Procli Sphaera astronomi*, vt ex disciplinis simul aliquid cum lingua & sermone condiscatur. Qui vero acriori sunt ingenio, priuatim ad maiora possunt adduci, ad Apollodori mythologiam, quam minori ætati Tanaquillus commendabat, cui vero Hyginus potest sufficere: ad vberiores historicos, Thucydidem & Xenophontem: etiam ad orationes quasdam Demosthenis aut Lysiae aut Andocidis, vt de Græca eloquentia, quam Cicero imitatus est, discant iudicare. Sed omnia hæc pro temporis, ingeniorum, & industriæ ratione sunt moderanda.

024 1272



Ph





DISPV TATIO PHILOLOGICA
DE
SOLVTAE ORATIONIS
SCRIPTORIBVS
SCHOLARVM VSVI PVBLICO
COMMENDANDIS,
Q V A M
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE
PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBVRGICO,
CETERA, DVCATVS MAGDEBVRGICI GUBERNATORE,
PRAESIDE
CHRISTOPHORO CELLARIO,
ANTIQUITATVM ET ELOQVENTIAE P. P.
h. t. DECANO,
pro priuilegiis & honoribus MAGISTRI Philosophiae
& Artium rite consequendis
A. D. XVIII MAII c^o I^occ VI
publice tuebitur
CHRISTOPHORVS ANDREAS Weber /
NORDHVSANVS